


BIBLIOTEKA  
Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII


4.260














S=6347

~~S-f-105.~~

C-b-398





**ORATIO**  
**DE VERA NOBILITATE**  
 eam non in natalium splendore, neque  
 in opum affluentia, sed in virtute  
 consistere,

*Sub auspiciis*

**EXCELLENTISSIMI ac CLARISSIMI VIRI**

**DOMINI**

**MICHAELIS MYLII**

**Rectoris**

**GYMNASII ELBINGANI**

habita publicè

**HIERONYMO GRATO à MOSCOROV MOSCOROVIO**

Eqv: Pol:

Cum Encœnia Scholæ celebrarentur

**ANNO DOMINI**

**M. DC. XLVI.**

**XXIX. Novemb.**

---

**ELBINGÆ**

**Typis ACHATII CORELLII.**



MAGNIFICIS ac GENEROSIS  
DN. ANDREÆ, PARENTI,  
DN. JOHANNI, PATRVO

à Moscorov Moscoroviis

*Dominis ac Fautoribus meis etatem suscipiendis*

**P**Auerculum hunc ingenii ac studii mei conatum ceu primitias  
crescentis in spem vestram etatula vobis unicus Fautoribus ac  
laborum meorum summis censoribus offerre placuit, ut idem presti-  
tum à me vobis sentiatis, quod olim gens Deo dicata quotannis pri-  
mos almae Cereris honores consecrando, caelo, cui omnia debebat,  
prestavit. Vos enim estis, qui vicaria Superum benignitate semen-  
tem in arvo ingenii mei spargitis. Vos estis, qui sparsam fecun-  
dis gratia radiis liberaliter fovetis. Non itaque sine grandi ingra-  
tae mentis piaculo hocce fructu formatricis ac nutricis dextera ve-  
stra defraudari poteratis. Et mihi nihil antiquius visum est, quam  
vobis optimum proventum ex me praecipientibus vel tenuem  
herbulam ostentare, ut spem illam de me in majus excitarem.  
Quod me affecuturum confido, si avaros colonos imitari volueri-  
tis, qui ubi exigua culmina herbescentis segetis avidè notarunt,  
in sinu tripudiant, & jam colamos, jam spicas cogitant. Susci-  
pite itaq; eo quo par est animo, hoc & grati animi mei hostimen-  
tum, & vestrae spei pedamentum. Quod postquam vobis non  
displicuisse sensero, erit, quod me ad majora conanda excitare pos-  
sit. Talem enim scitote futurum fructum omnis vitae meae, qualis  
me aspergine caeli vestri clementia irrigatura est.

Hanc grati animi tesseram benignis  
Patronis meis

do, dico, addico


Hier. Gratus à Moskorov  
Moskorovski.



XVII - 4260 - II



MAGNIFICE DOMINE BVRGGRABIE REGIE  
*Amplissime Dn. Præses, Consultissimi Proconsules ac Consules,  
Reverendi, Nobiles, Spectabiles, & Eruditi Viri, tota  
deniq; Auditorum corona honoratissima.*

 Uod arquatis ac veteriosis accidere solet, quibus lutea quæ non sunt æquæ ut lutea apparent; Idem usu venit iis, quos prava opinionis labes sideravit, ut ii sæpe numero cum Gryllo Vlyssis comite glandes pro frugibus, cum Ixione nubem pro Junone, id est, apparentia pro veris bonis apprehendant; præsertim verò cum hominum ignava opinio longioribus ævi fibris nixa, eo usq; succrevit adolevitq; ut etiam non barbari solum & imperiti, sed etiam ii, quibus

*De meliori luto finxit præcordia Titan*  
in ponendo vero rerum pretio minus acutum cernant, quam aut Aquila, aut Serpens Epidaurius. Magna enim vis est opinionis veneno suo cuncta inficiens, adeò ut hac corrupta mens vel tum maximè cæcutiat, cum se ex amissim videre arbitretur. Et ne singula enumerem, non ne obfuscatæ mentis ac sinistræ opinionis caligine obtenebratæ documentum in iis luculenter apparet, qui nobilitatem, quæ sola est atque unica virtus, quam maximo cum sudore ac gravissimo Superi mortalibus labore parandam proposuerunt, consistere in vana majorum suorum ostentatione ac splendore ab atavis propagato, tum in longis prædiorum ac possessionum latifundiis iniquè censent? Hinc tristis incubuit infamia seculo, dum ii, quos terreno abdomine pingves spiritus ad infima vota derruserunt, vero



itinere ad gloriam neglecto, ignavas spes ac torpidas cogitationes in alienis posuere factis, ipsi verò nihil audent brevibus Gyaris & carcere dignum. Stetit itaq; ceu frigida, suffusa calidus ac vegetus virtutis cursus, & per supinam, desidiã radices fixere vitia. Quapropter operæ pretium me facturum confido, si pro virili ostendero, non eos, quorum implent atria ceræ, neq; qui inclusum possident arca, Jovem verè & solùm nobiles esse, sed eos potius, qui ingentibus ausis satagunt tollere se humo, & se quoq; dignos fingunt cœlo.

Quod dum justo rationis pondere asserere contendo, Vos Magnifici, Amplissimi, Reverendi & Spectabiles Auditores imploro, ut tenuem orationis meæ phaselum benigno attentionis favonio ad optatum deducere portum velitis.

Inter alia bona, quibus se mortalitas ornare, & ultra mortalitatem splendescere consuevit, non postremo censenda est loco nobilitas, de qua non minus, quàm de aliis bonis gloriari non indignum est. Nam ut naturæ beneficium debent homines, quod veluti per traducem fœnerentur vitalem spiritum iis, quos post se vivere volunt, ut ipsi vivant in illis, ita nobilitatis non minus beneficium, quæ efficit, ut clari etiam sine post genitis sint. Eam verò nobilitatem dicimus, non quæ forte nascendi contingit, quàm fortuna largitur, sed quæ meritis paratur, quæ virtutis præmium est. Quid enim quæso nobilitas aliud quàm bonum virtute magnisq; in Remp, meritis comparatum? Adeò, ut ignobiles verè sint illi nobiles, qui nihil lucis habent nisi à luce majorum, nec de suo quicquam conferunt ad claram lucem; parum credo memores illius Satyrici salis:

*Miserum est alienæ incumbere famæ.*

Sensit



Sensit id Pater Patriæ, flos ille illibatus populi svadæq; me-  
dulla, quem cum nominavi, oraculum ipsum ac tripodam  
vos audire putate. Sensit, inquam, ideoq; Appium  
Pulchrum imaginibus stolidè tumentem mirificè exagitat,  
dum Appietatem ac Lentulitatem fastigatissima Romanæ  
nobilitatis nomina minus apud se valere, quàm virtutis or-  
namenta dixit. Censuit nimirum nobilitatem hominis,  
non fortuna, aut sanguine, non utero aut ubere, non magni-  
tudine fortunæ, sed animo metiendam esse. Minorum  
atq; è trivio virorum tam præposterum est de nobilitate  
judicium, ut eos, qui non ab Evandro, vel Atridarum ac  
Pelopidarum vetustis nominibus avos numerare possint,  
gregarios ac vulgares existiment. Melius sapiunt, qui  
veram nominis celebritatem non in agrorum spatiis,  
opumq; affluentia statuunt, qui virum non purpurâ & pe-  
cuniæ censu, sed virtutis & meritorum metiuntur. Quis  
enim ex nobis imo tota posteritate non Appio Tullium præ-  
ponat, licet hic primum familiæ suæ decus fuerit? cum  
ipse testetur se post adepta & gesta multa imperia, non  
superiorem quidem, sed parem omnibus Romuli nepoti-  
bus fuisse. Quis Midæ Regis divitias nobiliores Aristi-  
dis paupertate fuisse credat? Socratis verò generis humili-  
tas ex obstetrice & statuario nati an non Sardanapali inglo-  
riâ vitâ nobilior fuit? cum non homo sed porcus Sardana-  
palus fuerit, Socrates verò Deorum hominumq; amor. Non  
injuria itaq; idem ille Cicero ex Athenodori Philosophi sen-  
tentiâ differentiam inter nascendi felicitatem & nobilita-  
tem posuit, ita ut illa fatali sorti, hæc virtuti adscribere-  
tur. Nec Socrates abludit: Nunquam, inquit, frumen-  
tum optimum judicamus, quod in pulcherrimo agro na-  
scitur, sed quod optimè nutrit: ita virum præclarum, non  
qui



qui genere, sed qui moribus egregiis fuerint. Nobilitas igitur, Auditores, non ea est, ut quis ad fastum ac vanum tumorem abuti eâ debeat. Non ea est, ut quis pro ornamento suo eam ducere possit, nisi cum virtute conjuncta sit. Caduca ac fragilis puerilibusq; consentanea crepundiis est ea nobilitas, quam hodie tantopere pompa tenet, ac ambitio fatigat. Vanum ea nomen est, idq; alienum in quo gloriam reponere omnem, stultitiæ est. Si quidem Poëta attestante

*Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi  
Vix ea nostra voco —*

Nec immerito, Fingite enim vobis nobilem, qui Æacum, qui Herculem, imo qui ipsum Jovem consanguinitate tangat, ac ipse litteras fastidiat, virtutem contemnat, in Venerem sit putris, turpi postponat honestum officium. Quid ille? an adhuc tum ille nobilis? minimè verò, imo Thrax erit & quolibet servo minor. Hoccine enim est eminere, in solo fortunæ paratu, aut stemmatis ac titulorum emblemate gloriari, & destitutum esse iis bonis, quæ verè nobilitant, virtute, animo, & præclaris sago togaq; in Remp. meritis? Quid enim illi, nisi sanguine ac fortuna, id est, mutuatitio pallio tales? quo dempto nudi imo sordidi futuri. Ideoq; in scenam eos introductos putes, ubi omnia quæ splendent aliena sunt. Neq; mancum quid ac mutilum, cadaverq; potius nobilitatis, quàm ipsam nobilitatem indigitat ipsum vocis etymon, quod eum demum verè nobilem pronunciare videtur, qui sit maximè notabilis, vel noscibilis, utpote cum heroicæ ac illustres animæ eo anhelare debeant, ut per totam universitatem mundi, per omnes regiones provinciasq; ultra columnas Herculi



Herculis & sinum Gangeticum terrisq; ultimam Thulen claritate nominis, fama; inclytarum rerum possint esse noti, non nobis tantum præsentibus, avisq; nostris præteritis, sed etiam.

*Et natis natorum, & qui nascentur ab illis.*

Tales autem nobiles non nascimur, sed fimus, talis claritas & splendor nominis, non ab obstetrice excipitur, non constringitur fasciis, non vagit in cunis, sed cum prætexta ac virili toga assumitur, paratur prudentia, labore, virtute. Hæc sapientibus potissimum nobilitas, plebem verò & populum qui (ut Satyricus inquit)

— — — *Stultus honores*

*Sæpe dat indignis, & famæ servit ineptus*

*Qui stupet in titulis & imaginibus,*

nihil moramur. Hac ceu candidis quadrigis per ora hominum investiti sunt rigidi illi virtutis satellites, ac bonæ sectatores famæ, Divi illi, perpetuisq; monumentis inferendi Decii, Curtii, Catones, Curii, Camilli, Fabritii, Bruti, Marcelli, Mutii, Scævola; aliiq;, quos nobilitas sua, sed virtute acquisita posteris commendavit. Ut omittam eos, qui sapientiæ Apollinisq; præsidio eo nobilitatis pervenerunt, ut nemo eorum velit maximis etiam regibus esse minor. Tædiosum esset singulos enumerare, quos nunc fama loquitur, & inter summa splendidæ antiquitatis ornamenta numerat, quàm à vili genere fuerint oriundi. Quotusquisq; enim est ex præscito illo Senatu Romano, qui postquam

*nigris*



*nigris medium impedit crux*  
*Pellibus, & latum demisit pectore clavum*  
decus generis ab attavis repetere potuit, cum contra  
*Ante potestatem Tulli atq; ignobile regnum*  
*Multos sæpe viros, nullis majoribus ortos*  
*Et vixisse probos, amplis & honoribus auctos*

certò constet. Hæc igitur est, quæ tam altè sidera ferit, hæc quæ applaudente omnium consensu approbatur, hæc quæ humili loco natos quoq; ac abjectos gloriâ perenni coronat. Quod probè expressum videmus in illis, qui à stiva & aratro ad sceptrum vocati luto sordidatas manus diademati purissimo ac splendidissimo admoverunt. Et ne antiqua exquiram exempla, contuemini Pjastum Poloniæ Regem beatissimum, qui ex despectissimorum opificum numero ad imperium communi Majorum nostrorum calculo electus, ignobilis tantæ nobilitati, tam liberis ac animosis populis durisq; Sarmaticis cervicibus imperitavit. Neque verò hæc à me tanquam paradoxa dicuntur, cum in confesso sit apud omnes, virtutem esse quæ viros viris præstare facit, adeoq; optimum quemq; nobilissimum esse. Nam natura iisdem legibus nascendi adstrinxit omnes, nec aliter exonerantur in lucem extremæ fortis infantes; quàm Regum pueri; ast virtus est, quæ discrimen facit. Quid est ò tumide nobilitas tua, nisi hanc habeas, quæ de te censuram faciat.

*An dignus venias hederis & imagine macra?*

Ad caput primum quemq; si revocaveris, unde ortos reperies, qui tantopere nobilitatem crepant? Hinc Plato numen lumênq; illud Philosophorum ausus est neminem Regum non



non aliquando è servis, servorum neminem non aliquando è Regibus prognatum, asserere. Omnia nimirum longa ætatum & seculorum varietas miscuit. Certius itaq; nobilitas in propriis fundatur virtutibus, quæ primum sic mortales sequestrarunt. Quid enim putatis aliud prisca à seculis Reges & Principes à vulgo distinxit, nisi insignia virtutis documenta, quæ postea alios quosq; virtute præditos promiscuæ plebi exemptos ad altiorem dignitatis gradum evexerunt, immunitatibus ac privilegiis ornarunt, possessionibus atq; facultatibus cumularunt, ita ut primitus non parentibus, non natalibus, sed propriis dotibus nobilitas cujusq; censeretur. Non me sed melleum illud Græcæ facundia os Isocratem audite, qui eminentiam hanc veram Apelleo veluti penicillo expresit, dum sic inquit: Claritate nominis opes acquiri possunt, claritas autem nominis pecunia non venditur. Quid igitur congestæ opes tibi conferunt, quibus non potes reddi nobilior? Quid fumosæ majorum imagines & picti in curribus Æmilianiani te juvant, cum indignum te tanta nobilitate præstas? Quàm facilis est à nobilitate ad ignobilitatem via, quàm facile abominanda ac detestanda nota inuri potest majoribus, cum incauti aut stolidè feroes, omnia etiam, foedissima putant bene natos decere, quæ nullum non mortalem dedecent. Lubrica & parvo labilis nobilitas est, quæ in licentiam abutitur. Cautio opus est, ut magnitudo perennare possit, si titubaveris in alta hac luce cecidisse, putaberis. Vitia enim ut virtutes augmentum ex fortuna capiunt. Attendendum est igitur ad famam, quæ in alta fortuna qualiscunq; fuerit, magna sit necesse est; omnia enim præclarorum virorum ac principum dicta factaq;



rumor excipit, ita ut non magis eis, quàm Soli latere contingat. Nihil æquè quemq; infamat ac turpitude vitæ, sed illum maxime quem maxima nobilitas circumstat. Sic enim creditur vulgo eum qui dignitate superior est, virtute etiam præstare debere. Ideoq; magis conspicua sunt vitia in nobilibus quàm in obscuris: Non aliter quàm & navi in corpore pulchro magis cernuntur: quàm in deformi: Et ut atrum in nive colorem expeditius notaveris, sic in nominibus famæ consecratis, & honorum candidatis notabilius vitia ac maculæ feriunt oculos. Hinc Poëta rectè canit:

*Omne animi vitium tanto conspectius in se  
Crimen habet, quanto major, qui peccat habetur*

Turpe sanè spectaculum est, cum generosissimarum imaginum foetus in foedum devoluti dedecus acceptam à majoribus lucem in tenebras convertunt. Quid præclaro stemmate indignius? postquam ab eo degeneraverint terribis ignaviæ ac nequitiæ sordibus imbuta nobilia carcinomata ac portenta. Gravis est ager colono, in quo pro tritici læta segete infelix lolium & tristes dominantur avenæ: Non minus gravis & ille majorum suorum nobilitati, qui projecta morum licentia, in omne nefas sese præcipitaverit. Turpius amittitur, quàm non habetur nobilitas. Qvis enim non malit obscurum vel planè nullum habere nomen, quàm cum Thersite ac Cyclopiis celebrari? At proh dolor ea sunt jam tempora, quibus quisq; sibi vanis tumoribus imponit, nec per propriarum virtutum incrementa, sed per avorum suorum titulos nititur cœlum, digito attingere. Imo quod magis dolendum adeo pingua



gria, & Beotica nasci videmus ingenia, quibus nobilissimas ac stemmata insignia tanti valent, ut iis tanquam pallio utantur ad velanda vitia, nec in aliud valere putent generis claritatem & mentitum nobilitatis titulum, quam ut sub ejus praesidio non impunitius solum, sed excusatius etiam liceat, quicquid animo libuit. O infamiam, o stoliditatem dignam quae aures ferat quales Midas Rex habuisse fertur! illud quod incentivum ad virtutem esse debebat, ad vitiorum diverticula convertere. Sed his talibus helleboro purgandum cerebrum est, ut sapere discant. Perennem verò ac nunquam marcescentem lauream merentur, quicumque ad virtutem aspirant, longisque parasangis omnes titulos, omnia vanae ostentationis insignia superant. Quod quoniam omni electo purius probatum percepistis, vela orationis meae contraho, atque ad Vos me converto: ad Vos nunc, inquam, me converto Mag. Amplissimi que Viri, qui ad clavum inclytæ hujus Urbis constituti, prudenti regiminis gloria calamos linquasque hominum vestigales Vobis reddidistis. Pergite, hoc quo cepistis cursu ac studio nunquam interiturae famae nomen Vobis parare. Date manum ac praesidium Urbi, date justitiae, date litteris ac Musis sub umbra benignitatis Vestrae pulchre germinantibus. Tunc Vos supra omnem fastuosae nobilitatis splendorem elatos credite, cum non tam Vos dignitati Vestrae, quam virtuti advixisse constabit. Sed & Vobis Spectabiles & Eruditi Viri, cujuscunque tandem sortis statusque adestis, adest campus in quo de brabeo nobilitatis contendere possitis. Virtus unumquemque admittit, admissum decorat, tandemque coronat. Vos denique Adolescentes ac Juvenes, Vos Parentum Vestrorum solatium & Amor, Pa-



triâq; spes, Vos amplectimini tam pulchram nobilitatis oc-  
casionem. Per virtutem itur ad astra; hæc Vos, Vestraq;  
nomina fastis æternaturis inferet, hæc Vos à situ squallo-  
reque defendet. Bonum aliquem videtis? nobilem pro-  
nunciate. Doctum aliquem videtis? nobilem dicite,  
sed si bonus fuerit; omnia enim ei adsunt bona, quem pe-  
nes est virtus. Tum magni eritis, cum placere vobis  
cæperint Musæ ac virtutes. Tum de ignorantia, de  
obscuritate, imo verò etiam de aliis hostibus vestris trium-  
phabitis, cum ingentibus ausis Heliconem invaseritis. Nec  
vitam credite illam quàm ex aëris haustu trahitis, sed quàm  
ex studiis, nec splendidum putate auro argentoque fulgere,  
sed doctrinæ probitatisque luce. Dum alii pecuniam  
numerant, aut auri pondera ad stateram exigunt, Vos sa-  
pientum verba ac præcepta; dum avos majoresque suos alii  
ad calculum numerant, Vos virtutum genera omnia in nu-  
merato habetote. Non datum est omnibus ut esse pos-  
sint Æacidæ, Heraclidæ, ab altaque Assaraci domo oriun-  
di, id enim fortuna invidit, at possunt his omnibus omnes  
esse non minores per virtutem. Concipite itaque dignum  
nobilitate animum, sic cogitate, sic sentite, quòd etsi  
spendor natalium & opes magnum habeant locum laudesque  
infignes mereantur, vera tamen nobilitas non in his solum  
consistat, sed in virtute potius, quàm opes & dignitas co-  
mitantur.

DIXI.



AD  
HIERONYMUM GRATUM MOSKOROVIVM  
Nobilissimum Equitem Polonum  
de Nobilitate

è Gymnasii Cathedra  
pubicè dicentem.

**S**plendida imaginibus qui mutis limina pingit,  
Et proavos jactat, futilis ipse, suos:  
Si rem dispicias verè, non Nobilis ille,  
Sed potius Notus jure vocandus erit,  
Nobilitas vera est, virtutis amore teneri,  
Nec vitiis servum pectus habere suum.  
Differit hæc placidè tua culta oratio: Sed Tu  
Exprime factò, alios quod tua verba docent.  
Tu fac magnorum ne sis indignus avorum,  
Quodq; facis, sequere hoc nobile laudis iter.  
Nobilitas virtute suà, non sanguine claro  
Nititur, & propriis stat decorata bonis.

*Scribebat hæc Adfect. test. c.*

Michael Mylius Rector.

---

*Artifici in sua arte  
credendum*

Nobile quod sanguen, ramentaq; fulva metalli  
Non statuunt veræ Nobilitatis opus  
Nobilis en natus facundo grammate monstrat.  
Non credes huic in Nobilitate suâ?  
Sua cuiq; laus tribuenda.

*Moskrovo,*



*Moskrove, lingua Tullii non impotens,  
Quid sentiam de Nobili hoc molimine:  
Ad laudis excelsa est iter fastigia-  
Vis Ingeni, Virtus, Opes, Stirps Nobilis!*

*Quæ si, velut Peitho Tuæ connubio  
Iungit, tuo sic nupsierint in pectore,  
Alæ tibi fient in isto tramite*

*Ad gloriam quæ & poli sternent viam,  
Moskrove, sic alatus es bellissime  
Sic nobilitatus omnium verissime.*

*Qui non voles alis ad astra his quatuor?  
Iam provehunt te: Non amicè plauserit?*

Johannes Cramerus  
Gymn: Patrii ConR.

---

Epigramma Germanicum

**W**as ist der Adel doch? bestehet er in Fahnen?  
In Wapen? Silber? Gold? in Adelichen Ahnen?  
In dieser keinem nicht. Ein rechter Edelman  
Ist der / so sich mit recht der Tugend rühmen kan.  
So ist nun über dieß (die Tugend) nichts auff Erden  
Wo durch ein Edelman so kan genennet werden:  
Wie dieß beredt vnd klug Herr Moskorowski weist /  
Der ohne Tugend sich selbst keinen Ritter heist.

deproperabat  
Simon Schultzius Thor,

---

GENEROSO ADOLESCENTI

Dn. Hieronymo Grato à Moskorow Moskorovio.

**S**temmata quid profunt in avitis nixa triumphis;  
Aut clarum à nitido nomen habere thoro;



*Si, quæ nobilitas sola est, atq; unica virtus,*  
Exulet ex animo pectoribusq; tuis?  
Vilis erat Lescus, virtute ad scepera vocatus,  
Sauromatæ regem dum in sua vota legunt.  
Scipiadae negat ast præturam Roma petenti,  
Nam clavum patriæ perdidit ille togæ.  
J nunc & fumosas jacta ô turgide ceras,  
Degeneres animos si atria nulla juvant!  
Tu benè Moskorovi junxisti fortia Musis  
Cœpta: ob quæ nomen fama loquetur anus.

*Hoc affectus sui testimonium  
posuit*

Matthæus Emericus Radek,

---

**L** Audis honore vebî summum virtutis honorem,  
Digna sed haud magnæ rescûla molis erit.  
Molis erit, propriis virtutem ostendere factis  
Nomen & egregii promeruisse viri  
Quin gazas superet virtus, quin stemmata vincat,  
Haud (veor) hoc verbis, qui neget, ullus erit,  
Sed negitant factis multi, quos ardor habendi  
Excoquit, & generis nomen inane juvat.  
Non his associat se, Moskorovius, artes,  
Qui vigili mentis strenuitate colit.  
Hinc justis etiam Virtutem extollere novit  
Laudibus, & cunctis præposuisse bonis.  
Nec satis esse putat majorum sanguine longo  
Censeri, & fulvi congerere æris oper.  
Sed novit decorare novo virtutis honore  
Ipse satû genitus Nobiliore, satum.

Astruis



*Astruis id satis hoc docto conamine, verum  
Clarius id vitæ norma venusta probat.*

ANAGRAMMA

ex nomine

HIERONYMVS GRATVS à MOSCOROV MOSCOROVIVS.

*O Virtus Summus Honor, Imago Corrofa Iocus!*

**Q**uid jactare juvat vanum fine nomine nomen,  
Et jam semesos ingeminare atavos?  
Scilicet infandas eum mens vesana volutat  
Curas, & cursu fertur in omne nefas  
In patrios cineres turpis mixisse putatur,  
Stemmata conspicuum vel violasse genus:  
Gens ignava sumus, nec sunt vestigia cordi  
Majorum, ut cumulis accumulatur honos.  
Ast o tu à celso deductus sanguine sanguis  
Et decus eximium quem super astra vehit,  
Impiger exactâ deducis stemma libellâ,  
Et rectum monstras nobilitatis iter.  
Cum tibi fulgentes suspendant atria ceræ,  
Indole vis crescat nobilitatis honos.  
Namq; est VIRTUS SVMMVS HONOR meritosq; coronat  
Est pretium studii quin pretiumq; sui.  
Ergo degeneres distendat stirpis IMAGO  
Quæ CORROSA solet futilis esse JOCUS,  
Tu modò cælestem genium gere, sicq; futurus  
Nobilis & gestis nobilis & genere.

*Lubens meritoq; scripsit  
Christianus Stegman.*



1050



